§ 6

Noverint universi quod die mercurii paulo post pulsacionem tercie sedis Gerunde que fuit vicesima quarta dies Octobris anno a nativitate domini Millesimo trescentesimo quinquagesimo octavo in presencia Raymundi Calverol et Beregarii Garrols
prothe sancti Stephani de Canetullis(?) testium ad hec specialiter vocatorum Petrus de Carraria clericus Monasterii sancti Danielis Gerunde nomine suo proprio et nomine procuratorio ut asserit aliorum clericorum dicti Monasterii sancti Danielis
Constitutus personaliter in quodam hospicio ubi domina Guillelma uxor venerabilis Thomasii Barrani in Civitate Gerunde moratur tradidit michi Raymundo de Pariete alto notario infrascripto quandam papiri cedulam continentem quandam requi-
sicionem et protestacionem quas dictus Petrus Carrera nominibus predictis ut asserit faciebat contra dictam dominam Guillelmam et eius filium Arnaldum Barrani ibidem in dicto hospicio personaliter constitutos Quamquidem cedulam et contenta
in ipsa pecijt coram dictis matre et filio per me dictum notarium legi et publicari et de lectura et aliis subsecutis sibi nomine quo supra fieri publicum et publica instrumentum et instrumenta per me dictum notarium. Cuiusquidem cedule tenor talis est
Cum venerabilis Thomas Barrani quondam civis Gerunde tempore quo vivebat vendidit Bartolomeo de Villademay clerico sedis Gerunde pro libero et franco alodio quinquaginta duos sol. et sex denarios barchinonenses censuales
et annuales percipiendos et recipiendos per ipsum clericum et suos successores annuatim in festo sancti Michaelis super mansis infrascriptis videlicet a tenentoribus mansi Busquer prothe de Fornellis quatuor sol. et a tenentori-
bus mansi de Castello dicte prothe sex denarios et a tenentoribus mansi Olleri dicte prothe tres sol. et a tenentoribus mansi de Prato eiusdem prothe quatuor sol. et a tenentoribus mansi Marcini eiusdem prothe quinque sol. et a tenentoribus mansi
Strabau eiusdem prothe tres sol. et octo denarios et a tenentoribus mansi Guardoneda tres sol. et octo denarios et eciam a tenentoribus mansi Leber eiusdem prothe et duos sol. et sex denarios a tenentoribus mansi Torrer de Cardeneda et tres sol.
a tenentoribus mansi Quarrell et duos sol. et sex denarios a tenentoribus mansi vocati Torrer et tres sol. a tenentoribus mansi vocati Proheta(?) et tres sol. a tenentoribus mansi Marcoem(?) et duos sol. et sex denarios a tenentoribus mansi de
Ulmia dicte prothe et viiii sol. a tenentore mansi Figa de Aquaviva precio quinquaginta duarum librarum et quinque sol. barchinonensium de terno quos et quas idem Thomas habuit et recepit a dicto Bartolomeo Idemque Thomas in contractu dicte
vendicionis sub obligacione bonorum suorum promiserit et convenerit dicto Bartolomeo et suis semper habere facere et tenere dictos census contra cunctos et inde sibi teneri de evictione omni dampno interesse et expensis in iudicio et
extra ut in instrumento dicte vendicionis confecto undecimo kalendas Januarii Anno domini Millesimo trescentesimo quadragesimo sexto in posse Jacobi Comitis notarii Gerunde hec plenius continentur Dictusque Bartolomeus sive eius testa-
menti manumissores dederint et assignaverint dictos census monasterio et ecclesie sancti Danielis Gerunde et clericis eiusdem pro aniversario ibi anno quolibet faciendo dictique clerici convenerint dudum est coram venerabili officiali domini episcopi
Gerundensis et in eius curia Nicholaum Sterracs(?) tenentorem dicti mansi de Ulmia ut prestaret eisdem clericis dictos duos sol. et sex denarios censuales et Petrum de Prato tenentorem mansi de Torrent ut prestaret dictis clericis dictos
alios duos sol. et sex denarios censuales et ipsi conventi contradixerint dictis clericis dictos census prestare et contra ipsos Nicholaum et Petrum dicta fuerit diu inter causa sive lis in dicta curia et instrumenta dicte vendicionis
et alia producta et testes eciam producti hinc inde in qua causa quasi ad finem est producta et in solucione dicti census fuit cessatum per decem annos et ultra et adhuc cessatur et iam predicta fuerint denunciata et notiffi-
cata vobis domine Guillelme uxori dicti venerabilis Thome quondam ut tenenti eius bona et procuratrici heredis dicti Thome et vos fuistis requisita ut ad predicta vos opponatis et causam ducatis usque ad finem et predicta nolueritis
facere Ideo adhuc Petrus Carrera clericus et procurator clericorum dicti monasterii ad quos perceptio dicti census noscitur spectare predicta iterum exponendo denunciando et notifficando vobis dicte domine Guillelme Barrana tenenti bona ac vobis Arnaldo
Barrani filio et heredi dicti venerabilis Thome Barrani quondam requirit vos et utrumque quemlibet ut in dicta lite sive causa vos opponatis et eam ducatis vestris sumptibus et expensis et de cessatis dicti census et de expensis et dampnis
factis et sustentis per dictos clericos et dictum Monasterium satisfaciatis et compleatis prout ea promisit convenit et iuravit dictus Thomas quondam alias protestatur idem Petrus Carrera nomine quo supra contra vos dictos venerabiles dominam et Arnaldum
eius filium de evictione rei vendite in casu quo contingerit dictam litem perdi sive causam et de dampnis interesse et expensis factis et faciendis a vobis et bonis vestris et dicti Thome quondam petendis et exigendis Petens idem Petrus
Carrera sibi de predictis nomine quo supra fieri et tradi publicum et publica instrumentum et instrumenta per vos notarium infrascriptum. Quaquidem cedula per me dictum notarium coram dictis Arnaldo et Guillelma lecta et publicata incontinenti in presencia dictorum
testium dicti Arnaldus et Guillelma pecierunt de contentis in dicta cedula copiam et translatum Quod fuit eis per dictum Petrum de Carraria concessum Et incontinenti die veneris proxime subsequenti circa horam meridiei que fuit
vicesima sexta dies Octobris Anno Nativitatis domini predicto in presencia Petri Barcinoni de Cumba et Bernardi Pictoris scriptorum testium ad hec specialiter vocatorum dictum translatum fuit per me dictum notarium traditum dicto
Arnaldo Barrani recipienti nomine suo et dicte domine matris sue Et cum infra duos dies tunc sequentes per parte dictorum Arnaldi Barrani et domine matris sue ad predicta non fuit responsum Ideo ad instanciam et requisicionem dicti
Petri de Carraria Ego dictus Raymundus de Pariete alto notarius predicta omnia et singula in publicam formam redegi et eidem Petro de Carraria nominibus predictis ipsum tradidi ad habendam memoriam premissorum Que acta fuerunt
prout superius continetur in presencia mei dicti notarii diebus horis et loco premissis ac presentibus testibus superius nominatis

Sig+num Raimundi de Pariete alto notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de Vilarotlino(?) publico Gerunde notario [illegible] et requisitus una cum prenominatis testibus subscripsi prout superius continetur [illegible] et hoc [illegible]
clausi cum suprascripto in viii linea ubi dicitur dicte prothe et in xxvi linea ubi scribitur cum et in xxiiii linea constat in [illegible] ubi dicitur contentis.

Protest contra la
[illegible]
Ciutat de Gerona

(919)